



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XXIX. Qualiter instante tribulatione Deus inuocandus est, &  
benedicendus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

lantia verba. Est non parua prudentia, silere in tempore malo, & introrsus ad me conuerti, nec humano iudicio disturbari.

2 Non sit pax tua in ore hominum. Siue enim benè, siue malè interpretati fuerint, non es ideò alter homo. Vbi est vera pax, & vera gloria? N'onne in me? Et qui non appetit hominibus placere, nec timet displicere, multa perfruetur pace. Ex inordinato amore, & vano timore, oritur omnis inquietudo cordis, & distractio sensuum. I  
I

## CAP. XXIX.

*Qualiter instante tribulatione, Deus inuocandus est, & benedicendus.*

**S**IT nomen tuum (Domine) benedictum in sæcula: qui voluisti hanc tentationem & tribulationem, venire super me. Non possum eam effugere, sed necesse habeo ad te confugere: vt me adiuues, & in bonum mihi conuertas. Domine, modò sum in tribulatione, & non est cordi meo benè, sed multùm vexor à præsenti Iob 1.  
& Psal.  
112.

H pas-

*Mat. 26* passione. Et nunc, Pater dilecte, quid dicam? Deprehensus sum inter angustias. Saluifica me ex hora hac. Sed propterea veni in hanc horam, ut tu clarificeris, cum fuero validè humiliatus, & per te liberatus. *Pf. 36.* Complaceat tibi Domine, ut eruas me: nam ego pauper, quid agere possum, & quò ibo sine te? Da patientiam Domine, etià hac vice. Adiuua me Deus meus, & non timebo quantumcumque grauiatus fuero.

2 Et nunc inter hæc, quid dicam? *Mat. 6.* Domine, fiat voluntas tua. Ego benè merui tribulari, & grauari. Oportet utique, ut sustineam: & utinam patienter, donec transeat tempestas, & melius fiat! Potens est autem omnipotens manus tua, etiam hanc tentationem à me auferre, & eius impetum mitigare: ne penitus succumbam, quemadmodum & priùs sapiùs egisti mecum, Deus meus, misericordia mea. Et quantò mihi difficilius, tantò tibi facilius est hæc mutatio dexteræ excelsi.

CAP.